GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

DE THEOLOGICA CERTITUDINE

MATERNITATIS B. VIRGINIS QUOAD FIDELES

JUXTA CHRISTI VERBA " MULIER, ECCE FILIUS TUUS „

(Ioan. XIX. 27).

DISSERTATIO

AUCTORE

HENRICO LEGNANI S. I.

ALMA COLLEGE
LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH
Alma, Cal.

VENETIIS
TYPOGRAPHIA ÆMILIANA
an. 1899

ALMA COLLEGE
233.88
LIBRARY
L525
Alma, California

23053

Imprimatur, si iis ad quos spectat, ita videbitur.

Veronae, 25 martii 1899.

Ricardus Friedl S. J.
Pr. Pr. Ven.

Venetiis die 24 mensis Martiis 1899
Imprimatur
† Joseph Card. Sarto Patr.

PROPRIETÀ LETTERARIA

Ratio dissertationis.

In toto corde tuo gemitus Matris tuae
ne obliviscaris.

Quamvis communissima sit inter catholicos persuasio quod D. N. I. Christus per verba e cruce prolata " *Mulier ecce filius tuus .... ecce mater tua* „ constituerit Mariam in matrem fidelium, eosque in persona Ioannis illius maternae curae commiserit, tamen contingit interdum ut dubia a nonnullis moveantur de huius persuasionis legitimo fundamento ac veritate.

Opponunt enim, sensum literalem eiusdem textus hanc interpretationem non admittere, Patresque solum eam afferre juxta quam per ea verba significatur actus privatus filialis officii, quo Dominus Noster in dilecto discipulo matri derelictae custodem et solatium providerit; quam etiam interpretationem, alia praetermissa, praebent multi interpretes auctoresque veteres et recentes. Quare concludendum videtur, interpretationem, juxta quam Maria ibi constitui dicitur mater fidelium, genuinum verborum sensum a Christo intentum non exprimere, sed considerari debere ut piam sensu accommodatitio applicationem a nobis factam.

Addunt tamen qui sic opinantur, non prohiberi quominus Christi verba pie adhibeantur ad commen-

dandum cultum B. Virginis sensu quodam deducto, ut ait Van Steenkiste (Comm. in Matth.) hoc modo: " per illa verba voluit Iesus Christus ut Ioannes Mariam in terris honoraret et coleret tamquam matrem suam et hoc quidem propter amorem Iesu, quia huius mater erat: nos etiam qui sumus sicut Ioannes discipuli Iesu eumque diligimus, ut par est, votis Iesu obsequemur honorando matrem eius in coelis gloriosam „. Verum, cl. Auctor non advertit, hac ratione commendandi cultum B. Virginis, ipsam huius maternitatem spiritualem videri excludendam, eo quod neque nominetur: quae tamen, saltem aliis de titulis, e Scripturis omnino indubia haberi debet, ut, v. gr. Rom. VIII, 29 ubi Christus exhibetur *primogenitus in multis fratribus.*

Iam vero interpretationem illam, qua verba Domini ad matrem et ad Ioannem accipiuntur tantum de actu privato filialis officii, omnino falsam et erroneam censeo, et huiusmodi ut eam profiteri hac aetate quemlibet Catholicum prorsus dedeceat.

Dico, hac aetate. Admittendum enim est anteactis temporibus nondum exstitisse apertam illam universalemque huius doctrinae praedicationem, quae hisce seculis, et maxime nostro obtinuit, prout mox ex dicendis constabit.

Quibus de causis, et etiam cum a Beatissima Virgine plura in me materno affectu collata beneficia agnoscerem, statui in eiusdem honorem et grati animi causa, praesentem Dissertationem edere, qua demonstrandum assumo: iis verbis Christum Dominum vere intendisse Matrem suam declarare aut instituere matrem fidelium omnium in persona Ioannis, hancque interpretationem et doctrinam modo haberi posse

theologice certam, et nihil prohibere quominus aliquo tempore obiectum evadat dogmatici judicii. Porro quum huic doctrinae ipse Pontifex Leo XIII binis in Actis, ut videbimus, testimonium praebuerit, videtur etiam sub hoc respectu tractatio opportunitate non carere.

Duplex eiusdem erit pars. In prima, quae articulum primum et secundum complectitur, ex Ecclesiae sensu et consensu interpretationis veritas et certitudo statuetur. In secunda, seu in tertio et quarto articulo, ex ipsius textus declaratione confirmabitur.

Art. I.

Fidelium Ecclesiaeque sensus et consensus.

Sane spectetur modus quo eadem sententia post *Rupertum* (sec. XIII) in Latina Ecclesia manifestari coeperit et deinceps gradatim ad nostros usque dies securo citoque pede progrediens radices ubique iecerit, ita ut evaderet communissima, certa et rata.

Post Rupertum dixi. Is enim hucusque censetur primus, cuius de hac re testimonium habeatur. Eius haec sunt verba " Quia in passione Unigeniti omnium nostrum salutem B. Virgo peperit, plane omnium nostrum mater est. Igitur quod de hoc discipulo dictum est ab eo (Iesu Christo) recte et de alio quolibet discipulo, si praesens adesset, dici potuisset, nisi quia, licet omnium, ut dictum est, mater sit, pulcrius tamen huic ut Virgo virgini commendari debuit (L. XIII in Ioan.) „. Optima et theologica sane est haec Ruperti illatio, deducta ex munere quo B. Virgo apud crucem fungebatur. Videlicet, Maria tunc actu fiebat fidelium

omnium mater, etiam antecedenter ad verba Christi: ergo ad eam quatenus hoc munere fungebatur eadem verba pertinebant; prout inferius in Art. III declarabitur.

Post eum sequenti trium seculorum periodo dictam sententiam aperte docent *Taulerus* O. P. Doctor Illuminatus, qui ponit verba in ore Christi: " Mulier, non solum mea mater, sed generaliter Mulier ob ingentem foecunditatem tuam, quia matrem multarum gentium te constitui (Cap. XLIV.). *S. Bernardinus Senensis* (sec. XIV): " In Ioanne, ait, intelligimus omnes, quorum per dilectionem facta est mater (Tom. 1, serm. 55). *Dionysius Carthusianus* " discipulus iste designat unumquemque fidelium. Cum ergo Christus dicit Ioanni *Ecce mater tua,* unicuique christiano dedit matrem suam in matrem (In Ioan. XIX). *Landulphus a Saxonia* pariter Carthusianus in Vita I. Ch. ad haec verba ait: " Ibi Ioannes repraesentabat Ecclesiam, seu ipse est Ecclesia... Quando Christus Mariam Ioanni tradit, nobis ipsis tradit „. Ad hanc aetatem pertinet auctor opusculi *De Conceptione Virginis*, qui haec habet: " O mira operatio Conditoris! o immensa consolatio peccatoris! O Domina, si filius tuus est factus per te frater noster, nonne et tu per illum facta es mater nostra? Hic enim iam mortem pro nobis subiturus in cruce dixit Ioanni, utique Ioanni, nec aliud quam nos in natura suae conditionis habenti: *ecce*, inquiens, *mater tua.* O peccator homo, gaude, gaude et exulta.... Iudex tuus, videlicet frater tuus, docet te fugere ad Matrem suam (Ap. Hurter — Opera select. Patrum — T. XII). *S. Laurentius Iustiniani* praeclaro commentario haec verba evolvens, ait: " Discipulum, quem diligo prae ceteris, tibi com-

mendo in filium, ut quemadmodum comes, ita et integerrimae tuae virginitatis sit custos.... Praeclarum etiam scito in hac commendatione discipuli latere mysterium. Ipse namque typum gerit Ecclesiae, quae est immaculata et virgo. Hanc in persona discipuli tibi relinquo. Tu illam tamquam me dilige... volo ut illam (Ecclesiam) in filium habeas. Eidem quoque mandabo ut te tamquam matrem veneretur, te diligat... faciam prorsus ut omnes concurrant ad te etc. (Tract. de triumphali Cristi agone. Cap. XVIII). In eumdem sensum *B. Albertus Magnus* (super Missus est c. 33) " Maria est mater totius generis humani. Iuxta crucem enim non sine perturbatione doloris omnes nos in vitam aeternam in filio et per filium vocavit et regeneravit „. Cum quibus haec conferenda (4 p. 1, 14, c. 3). " Mater est tibi. Patrem habes misericordiarum. Accipe matrem miserationum. Ecce mater tua, o Ecclesia. Quae est mater mea volo ut sit et mater tua. Mea est mater naturalis, volo ut sit tua spiritualis. Ecce mater Dei Salvatoris est mater peccatoris in Ecclesia „. Consonat *S. Antoninus* (In Sum. p. IV, tit. 15, c. 2). " Sicut enim Christus nos genuit ad esse spirituale gratiae in cruce patiendo, ita et B. Virgo nos genuit et peperit in maximis doloribus Filio compatiendo, poenas immensas pro nobis patienti „.

Iam vero omnes hi auctores, haud levis in Theologia notae, clare loquuntur absqe ullo indicio opinionis recentis aut dubiae, et multo minus sensus accommodati. De ea namque Christi intentione iis verbis significata loquuntur ad eum prorsus modum quo verba v. gr. *pasce oves meas*, censentur dicta in Petro Romanis ipsis Pontificibus.

In sequenti periodo trium seculorum XVI-XVIII

explicite hanc ipsam tradunt sententiam *S. Thomas de Villanova Ord. S. August.* Loquens de illo textu ait " sicut Christus per gratiam fecit nos filios Patris sui adoptivos, sic etiam fecit filios Matris suae..; Ioannem autem fecit primogenitum, in hac generatione adoptiva matris suae (Concion. T. II. Mediol. 1760 In festo Nat. pag. 87). *B. Avila*: " Christus Mariae apud crucem commendavit Christianos in persona Ioannis „ (Obras T. VII. de la Fiesta de N. S. de la Nieves). *Salmeron* S. I. " Est autem Maria multis rationibus mater nostra... et passione apud crucem parturiens nos doloribus, cui sumus in Ioanne ut filii dati (Tract. XLI), et cum eo *A Lapide* (In Ioanne XIX) et Card. *Toletus* S. I. (Comm. in Io. XIX), *Silveira* O. C. (Evang. in h. l.) *Pepini* O. P. (Expositio Evang. Venet. 1569), *Royard* O. S. Tr. (Hom. in Evang. Lugduni 1583), *Sedlmayr* O. S. B. (Theologia schol. Mariana P. II. art. IX), quaerens " Utrum B. Virgo fuerit facta nostra mater tempore passionis „, respondet, facta est nostra mater *completive*, quando Christus dixit ei *mulier*, *ecce filius tuus* et Ioanni *ecce Mater tua*. - *Laurentius Chrysogonus Dalmata* (Mundus Marianus P. II, Disc. 38. Patav. 1591) *Palbertus* (Stellarium P. II, art. 3). *Masella Laur.* S. I. (Vita della B. V. L. VI. c. 15. Venez. 1610). *Reynaudt.* S. I. (Scapolare Marianum Part. II. Polemica. C. III), *B. Canisius* S. I. (De Virgine Deipara P. IV. C. XXVII), *Contensom* O. P. (Theol. T. II. L. X. D. 4. c. 1) ad verba *Ecce mater tua* ait: " Eam administratricem toti Ecclesiae praefecit, dum Ioanni praesenti et in eius persona toti Ecclesiae dicit: *Ecce mater tua!* „ *Arias* S. I. (Las virtudes de Maria Madre de Dios Ch. VI. § III), *Ri-*

badeneira S. I. (Vida del Senor) " E cruce vocavit eam *Mulier* quia erat mulier quae debebat conterere caput serpentis, Eva nova mater omnium viventium „ *Segneri* S. I. (Il divoto di Maria C. VI. § 2): " Maria agnoscit se lege publica sibi praescripta e trono crucis matrem nostram, quando Christus ei dixit, *Mulier, ecce filius tuus* „, notatque ideo Evangelium posuisse non Ioannem, sed discipulum. *Spinelli* S. I. (Pietas ac devotio in B. V. §. IV. n. 11), *Siniscalchi* S. I. (Divozione alla SS. Vergine Addolorata - Consideraz. XXIII. Giugno), *Petrus a Jesu Maria.* Ord. B. M. V. de Mercede. Hisp. " Christus matrem suam matrem nostram vocat, Ioan. XIX. 27. (Comm. in Apocalyp. Matriti 1670). *Hincza* S. I. (Rex dolorum. Cracoviae 1635. Medit. XLI). *Stanyhurst* S. I. (Dei immortalis in corpore patientis Historia. Coloniae Agripp. 1706. Cap. XIII. § 6), *Bagnati* S. I. (La Passione di G. C. Venezia 1747. IV.° Venerdì di Nov.), *P. Caietanus Maria a Bergamo* Ord. Capp. (Pensieri sulla Passione n. 341) *Natalis Alex.* O. P. (Evang. Joann. C. XIX), Ven. *Thomas a Jesu* O. S. Aug. Lusitanus (Travagli di G. C. Patim. IV), *Palma* S. I. (Storia della Passione. C. 35), *Nouet* S. I. (Vie de N. S. J. C. - La Passion), *Fr. Petrus de Sancta Maria et Ulloa* O. P. 1642-60 (Arco Iris de paz. Misterios dolorosos), *Ioannes de Loyola* S. I. (Meditaciociones del S.do Corazon de Jesus. Med. 31, 1729), *Gerardus Aranda Novés* S. I. (Afectos a la Prma V. Maria P. I. C. I.), *Barrados* S. I. Lusitanus (Comm. in Ioan.), *Auriemma* S. I. (Divozione a Maria) " Pro hac adoptione adfuit praescriptum, ut aiunt, Principis, pulcrum illud verbum: *mulier, ecce filius tuus;* nec vacat mysterio quod Ioannes nomine discipuli ibi

dictus fuerit „. *Da-Ponte* S. I. (Meditaz. in h. l.), *Anonym. Lazzarista Hisp.* (Medit. de las 7 palabras. Barcin, 1766), *Jacobus Alvarez de Paz.* S. I. (Op. T. V. L. III. P. II. Med. XX), *Duquesne* (L'Evang. medité), *Zucconi* S. I. (Lez. sugli Evang. Lez. 48. Venez. 1741), *Reismüller* (Corona stellarum duodecim - Concio VII), *Campadelli* (Discorsi - Disc. IX), *Fabri* S. I. (Concion. V. IX. Conc. V), *Beda Sauer* O. S. B. (Novendialia exercitia pro festis B. V. P. IV. dies. V), *Bambacari* Can. Reg. (Quares. Prediche XI), *Vettori* (Oraz. V, a Gesù Crocif.), *Pellegrini* (Pred. Quares.), *Trento* (Quares. Pr. 35), *P. Gaudentius a Brixia* Ord. Capp. (Pred. sui dolori di Maria) pulcre evolvit oppositionem inter Evam et Mariam, assumpto textu " *Et vidit mulier lignum quod esset bonum*; pro Eva lignum dulce ad perditionem, pro Maria lignum crucis amarum in salutem, sed quae ob illud facta est in Ioanne mater omnium „. *Gourdan* Can. Reg. (Sacrif. de foi e d' amour. Paris 1704, n. 95), *Iacolet* S. I. (Le plus ancient Mois de Marie XIX jour). *Clement Ioseph* Episc. Barcinon. (Serm. T. II, ser. 24), *Vega Christ.* S. I. (Theol. Mariana T. I. Certam. VIII). *Alphonsus Mesia* S. I. Institutor Exercitii trium horarum agoniae D. N. I. C. (Exercicio de las tres horas), *Bossuet* (Serm. 1. pro feria VI. Passionis) egregie agit de Com-passione Mariae. Haec decerpo : " Christus ei communicat suam foecunditatem, quia videt eam suos dolores pati : hac de causa dat illi Joannem in filium. Mulier, ait, quae mecum pateris, esto quoque mecum foecunda, esto mater filiorum quos ego gigno in doloribus... Maria venit ad crucem ut mater fieret novorum filiorum „. Et in sequenti sermone II. " Posito quod vi fidei Ecclesiae et Patrum

Maria sit vere mater nostra; si quaererem a vobis, quandonam qualitatem hanc habere coeperit, vos absque dubio respondebitis, verisimiliter quando ei tradidit Ioannem in filium. Et sane ibi congruentias omnes, quas imaginari possumus, invenimus „. *S. Franciscus Sales.* (Serm. XXVII, in fer. VI. Parasceve); " Quum dixit Jesus: Mulier, ecce filius tuus, B. Virgo probe sciebat se in Ioanne aceptare omnes filios crucis Domini N. et se tunc evadere dilectam matrem omnium Christianorum „. *S. Leonardus a Porto Mauritio:* (La via del Paradiso) " Considera Redemptorem in hoc *testamento* nobis reliquisse rem omnium sibi carissimam, suam ipsam matrem in nostram ac si diceret: Mater mea, tibi committo in filios omnes qui erunt mei discipuli „. *Card. Orsini* (Cento Sermoni sulla vita di Maria. Serm. 89) dicit veram rationem cur Christus e cruce mulierem appellaverit B. Virginem fuisse ut demonstraretur mater omnium credentium et hanc esse sententiam *certissimam.* Omnes porro praecellit Mariae Doctor *S. Alphonsus.* In opere " Riflessioni sulla Passione C. V. „ agens de tertio verbo ait: " Nunc scrutanda intimus est intrinseca ratio ob quam Christus eam vocavit *mulier.* Significare nempe voluit eam esse insignem mulierem benedictam in oraculo Gen. III. 15. *Nemo enim dubitat hanc mulierem fuisse B. Virginem.* In illo semine Mariae significabatur collectio iustorum cum capite Jesu Christo. Quare Maria designata erat mater cum capitis, tum membrorum, qui sunt fideles. Hinc S. Ioannes non Joannes appellatus est, sed discipulus quem diligebat Christus, ut intelligamus Mariam esse matrem cuiusvis boni Christiani, qui diligatur a J. Ch. et in quo vivat Christus, prout significare voluit

Origenes „. Item in opere *Le Glorie di Maria* P. 1. c. 1. § 2. — et in op. *Considerazioni sulla Passione* § 14. — *De Benedicto XIV.* v. inferius.

Verum adhuc luculentior est testificatio, quam seculum hoc XIX nostrae doctrinae attulit. De ea praeclare agit *P. Ioach. Ventura* Teat. data opera in libro " La Madre di Dio Madre degli uomini, o il Mistero di Maria appiè della croce). Similiter *Augustus Nicolas* in op. La Vierge Marie d'après l'Evangile et in alio La divinité de I. C. en confutation de Renan. *P. Wilfridus Faber* Cong. Orat. (The foot of the Cross) " Maria intellexit quod in illa apparente prolis transmissione ipsa constituebatur solemni forma in suo officio secundae Evae, secundae Matris generis humani „. *P. Blasius La Leta S. I.* (Il capolavoro di Dio vol. II, c. XIV). *P. Geminianus Mislei* S. I. (La Madre di Dio c. XVIII). *Franc. Hyacinthus Maria Martinez* Episc. Havann. allatis verbis Christi ait " sublimia verba, quae sunt complementum divini amoris operibus, et sigillum ponunt operi praestando a Filio Dei inter homines (La Virgin Maria Tom. 3, P. III, § 1, Madrid, 1868). *The Messenger of the Sacred Heart* (*London 1876* tribus articulis). *Jean Jacquot* S. I. (Cooperation de Marie à l'oeuvre de la Redemption - Paris 1868). *Lanzi* S. I. (Ragionamenti sulla divozione al S. Cuore di Maria, Roma, Propaganda, 1839, c. VI). *Henry Marty* (La S. Vierge, lect. 26). *Car. Hünner* S. I. (Unsere Liebe Frau - Regensburg 1883) " Maria dicta est *Mulier* causa nostri, qui eiusdem facti sumus filii „. *Clemens* O. SS. Red. (Die Liebe des Gekreuzigten, Marz 1878, p. 484). *D.r Beith* (Lebensbilder aus der Passion 's, Geschichte Wien 1855, c. 17). *Antonius Maria Claret* Archiep. Cub. Fundator Congre-

gationis religiosae sacerdotum Filiorum Immac. Cordis B. V. Mariae, cuius agitur causa Beatific. (Tom. III serm. III. Los dolores de N. S. la V. Maria. Barcellona 1860). *Theodorus de Almeyda* Orat. S. Phil. Lusitan. (Tesoro de protecion en la SS. V. Maria, Barcell. 1850). *Fr. Michael de Santander* Episc. Ord. Cappucc. (Doctrinas y Sermones, serm. IV de la Passion, Madrid 1861, Edit. v.).

Imo eadem doctrina adeo certa habetur, ut iam in ipsis Catechesibus, Episcopis adprobantibus, identidem inseratur. *A. Ferrari* (Trattato della religione, Ferrara, 1827), *Catechismo dogmatico-morale* di un religioso, Milano, Dupuy) *Lud Schüller* (Dottrina cristiana per le scuole del Seminario Romano, opus valde commendatum), ubi legitur: " Maria mater nostra est, quia omnes sumus filii adoptivi Dei et fratres I. Christi, et quia I. Christus constituit eam in matrem nostram e cruce paulo ante mortem „. *Sommaire de la Doctrine Chret. en Tableaux Synoptiques*, (Avignon Six. edit.) *De Harbe* S. I. (Catechismus per Germaniam vulgatissimus, Vol. IV c. III). *Fulgentius Cuniliati* O. P. (Il Catechista in pulpito, Ragion. XIII). *Bougeant* (Catechismo storico-dommatico, Torino 1867, P. II, c. VIII). *Gaume* (Catech. de perseverance, V. II, Lec. XIII sur la Passion) loquens de iis verbis: " Maria, inquit, adoptavit Ioannem in filium et in huius persona omnes christianos. Ioannes adoptavit Mariam et ut matrem honoravit. Hoc modo adimpletum fuit testamentum Salvatoris „. *Bressanvido* O. S. Fr. (Dottrina cristiana, T. 1. Istruz. XLV) explicans ea verba ait: " Quanta Iesu Christi charitas, qui prope mortem, praeter tot alia amoris pignora, hoc etiam reliquit, nos constituens filios Mariae adoptivos „.

Catechesibus sane gravior est Theologiae testificatio. Ex hac enim illae doctrinam tradendam accipiunt, atque ipsa Catholica exegesis supremam agnoscit normam qua in textuum scripturalium vero sensu investigando regatur, quaeque in Ecclesiae mente et judicio de eo sensu consistit. Iam vero, quum theologiae proprium sit juxta tale criterium doctrinas proponere, apparet quantum momenti sententiae quam defendimus accedat, quod eam videmus hisce annis in ipsis Theologiae dogmaticae cursibus, absque ulla dubii indicatione admissam. Primus id praestitisse videtur cl. Hurter in pervulgato Compendio Theologiae (Vol. II. Th. 161), ubi exponens quinque titulos quibus Maria est mater nostra, pro quinto ponit titulum *haereditatis*: " cum ex fidelium sensu Christus in cruce moriens in persona Joannis nos ipsi assignaverit in filios. „ Deinde *Sala* (Instit. theol. dogm. De Verbo Incarn. n. 113) *Crosta* (Theol. dogm. Vol. III. Tr. IV. n. 376), *Ant. Marchini* (Inst. Theol. dogm. Vol. II, De Verbo Incarn. n. 746), *Jos Scheeben* S. I. (Handbuch der Kathol. dogm. Vol. III. Frieburg in Breisgau 1882, p. 617), *Christianus Pesch* S. I. (Praelect. dogm. Vol. IV, Append. de B. Virg. n. 579), *Geremia Dal Ponte* (Comp. Theol. dogm. Tridenti 1890. De Verbo Incarn. et Mariologia n. 572), *Billot* S. I. (De Verbo Incarn. 1892. p. 280) ubi egregie evolvens oraculum Gen. III. 15, ait, Mariam, Mulierem ibi unice designatam, consummasse munus Coredemptricis quum Christus ei dixit: " Mulier, ecce filius tuus „, *Petitalot* S. I. (La Vergine Madre e la Teologia. Torino, Artigianelli 1893, C. 18, § 1, per totum) " Si Christus vocasset Mariam nomine Matris, eadem non fuisset nisi eius mater: sed eam vocans mulierem atque ei Ioan-

nem in filium committendo, fecit eam esse mulierem-matrem universi et Ecclesiae „. His alia addit optima ad huius *testamenti* virtutem atque excellentiam illustrandam. *Bucceroni* S. I. (Comment. de B. V.), *Card. Capecelatro* (Errori di Renan C. XX). *Abb. Gueranger* O. S. B. (L'Année liturgique. Vendr. de la Passion) postquam ostenderit Mariam fuisse prope crucem vi muneris Corredemptricis patiens cum Christo eumque Patri offerens, subdit: numquid mirari debemus his positis, quod Iesus Christus hoc tempus elegerit ad eam statuendam hominum matrem in persona Ioannis qui nos omnes repraesentabat? nondum Cor Mariae tantopere pro nobis commotum ut tunc fuit. Sit ergo exinde Maria, nova haec Eva vera viventium mater „.

Hos merito comitantur sive interpretes sive qui ex Evangeliis vitam accurate enarrant Domini Nostri aut B. Virginis. Sic *Cappellari* Episc. Ciren. (Vita e Dottrina di Gesù Cristo. Udine 1893, vol. II, c. 160), Card. *Capecelatro.* (La vita di Gesù Cristo, cap. 37). " Sicut Christus ad hominem venerat per Mariam, ita homo ad Christum redire debebat per Mariam.... Nullibi melius mysterium hoc percipi poterat quam iuxta crucem, quum in culmine sacrificii maxime dolorosi Jesus Virginem proclamavit in matrem generis humani.... Verba haec quae Mariam et humanum genus magna consolatione affecerunt, unicum et ultimum solatium fuere Jesu Christo in cruce. Eius dolores exinde in immensum augentur. *Mass Franz Zaver.* (Erkännitz des N. T.)„ In iis verbis, praeter Mariam commissam Ioanni, sensus alius profundior invenitur, quo in Ioanne intelligendi sunt omnes Christi discipuli. „ *Klofutar* (Comm. in Ioann. Laibaci 1894.), *H. Coleridge* S. I. (The Life of our life. P. III. De

Passione c. XII.), *Allioli.* (The heilige Schrift. in h. l.), P. *Didon* O. P. (Vie de I. C. Vol. II.), *Businger* (Die leben I. C. und seine Mutter, *Cesari* P. dell' Orat. (Vita di G. C. Ragionam CII), *Volciç* (Vita Mariae et Joseph slavice. Klagenfurt 1884, p. 407), *Meschler* S. I. (Das Leben Unseres Hern. J. C. Freiburg in Breisgau 1898) dicit, nomen "Mulier„ significare "secundam Evam„ matrem scil. universalem; dicit in his verbis significari testamentum a Christo relictum, atque caram hanc verborum Christi intelligentiam a sec. XII, per Ecclesiam vulgari coepisse. *Bern. Schmitz* (Das leben Jesu. Paderborn 1893, III. Buch. cap. XVII.). *E. Le Camus* (Vie de N. S. I. C. Vol. II, L. 1. La mort) ait, eo loco Mariam acquisivisse titulum Matris, quem Ecclesia semper illi attribuit. In illo autem mysterio et nomine perfici antithesim cum prima muliere, qua genus humanum in ruinam actum fuit. Ibi Mariam fieri matrem omnium viventium, et adimpleri primum oraculum de capite serpentis conterendo„. Fusius et egregie idem declarat *Rohner* O. S. B. (Das leben der Allseseligsten Jungfrau, Einsiedeln 1884); *Schmidt* F. A. S. I. (Das leben Mariä. Regensburg 1862, p. 188.); *Erhards* (Das Grossen Leben Christi, Regensburg, 1865, II Theile); *Martinengo* e Congr. Missionis. (Vita della B. V. Torino, 1878). *Anon.* (Vie de la S. Vierge. Etudes précédées d'une Introduction par Card. Mermillod. Paris 1873). *Anon.* (Histoire détaillée de la S. Vierge par un membre des Conferences de S. Vincent de Paul de Paris, p. 129).

Prae tali tantoque testimoniorum apparatu superfluum duco densum agmen proferre, quod e sermonibus de Passione, de Doloribus Virginis, de septem verbis, de mense Maio, vel e libris meditationum, piorum exer-

citiorum, aliisque eiusdem generis passim suppeditatur. Nobis ipsis commune est talia audire imo praedicare et docere, probeque scimus persuasionem hanc tam firmas radices in fidelium animis egisse, eosque tam intime pervasisse, ut numquam imminui, nedum deleri, futurum sit possibile. Imo potius ex ostenso progressu a XII seculo ad nostros usque dies certo colligere datur, fore ut in posterum eadem doctrina adhuc maiori luce illustrari et ampliori testificatione corroborari pergat, ad eum modum qui pro Immaculata Conceptione obtinuit.

Recensiti auctores sunt fere quos colligere potui e paucis privatis Bibliothecis nec valde copiosis. Sed quid si colligerentur alii quoque ex aliis Bibliothecis catholicarum regionum? Procul dubio centenae et centenae, forte etiam millenae voces adessent uno choro eandem laudem Deiparae ex omni parte testantes. Quam solemnis inde exsurgeret manifestatio sensus Ecclesiae!

Invicti sunt haec roboris. Verum, quid si ipsi Romani Pontifices in Apostolicis documentis hanc doctrinam ipsam asserunt et profitentur? Et revera *Benedictus XIV,* in Bulla *Gloriosae,* qua opus Societatis Iesu in propagatione cultus Mariani valde commendat, de hoc cultu ait: " Catholica Ecclesia, Sancti Spiritus magisterio edocta, *eamdem* (Virginem) *tamquam amantissimam Matrem extrema sui Sponsi morientis voce sibi relictam,* filialis pietatis affectu prosequi studiosissime semper professa est. „ *Pius VIII* in Bulla *Praesentissimum*, qua confirmantur privilegia Sodalitati septem Dolorum, docet: " Ipsa Virgo est Mater nostra.... cui nos tradidit Christus in cruce moriturus, ut sicut ille ad Patrem, ita haec apud Filium interpellaret pro nobis. „ *Gregorius XVI* in Bulla eiusdem obiecti et no-

minis ac antecedens, eadem verba repetit. Tandem *Leo XIII* in Encyclica de Patrocinio S. Josephi anno 1889, loquens de Beatissima Virgine, testatur: " Virgo Sanctissima, quemadmodum Jesu Christi genitrix, ita et omnium christianorum mater est, quippe quos ad Calvariae montem inter supremos Redemptoris cruciatus generavit „, quum scil. ea Christi verba audivit. Quem sensum idem Pontifex declarat in prece ad Catholicos Angliae missa pro eiudem conversione, ubi haec Beatae Virgini dicuntur: " Intercede pro nobis filiis tuis, quos tu suscepisti et acceptasti iuxta crucem „.

Art. II.

De interpretum Patrumque silentio.

Ex Ecclesiae sensu et judicio, ut modo ostensum fuit, jam catholico indubie constat, omissionem illius interpretationis apud sat plures veteres et recentiores auctores adduci non posse ut argumentum quo eiusdem veritas negetur aut in dubium vocetur. Argumentum enim esset pure negativum, quod positivo et contrario eliditur. Si in re gravi liceat joco uti, id argumenti genus haud dissimile ab illo videtur, quo rusticus quidam, ut fertur, accusatus de homicidio, contra quinque testes qui eum viderant crimen perpetrare contendebat se habere quinquaginta qui eum *non* viderant crimen perpetrare. Sic in praesenti quaestione, oporteret probare ideo eos auctores talem interpretationem omisisse quod judicaverint eam esse falsam; sed hoc nunquam probabitur. Exempli gratia, ipse S. Alphonsus in Sermone de Septem verbis, non considerat in tertio verbo

nisi actum privatum quo Christus providit Matri custodem et socium. Numquid inferes, Sanctum aliam primariamque Christi intentionem ignorasse, aut non admisisse? Similiter dicas de S. Leonardo a Portu Mauritio, de Benedicto XIV, de PP. Segneri, et Cesari deque pluribus aliis qui superius allegati sunt.

Et sane, quum Christus duplicem haberet intentionem, nihil vetat quominus una consideretur absque alia, quin inde sequatur omissionem unius censeri debere eiusdem exclusionem.

Plures namque dari possunt rationes, cur commentatores seu scriptores de nostra interpretatione mentionem non fecerint. Poterat esse, pro antiquioribus praesertim, quod nondum iis cognita esset, aut quod, etiamsi cognita, existimaretur solummodo pia aliquorum opinio, aut non literalis sicut alia primo obvia. Poterat esse quod commentarii scopus posceret ea tantum notari quae certa essent, aut quae a Patribus et praecedentibus doctoribus communius proferebantur. Proferebantur autem communius ad Mariae perpetuam Virginitatem contra antiquos et modernos detractores confirmandam. Si enim Christus matrem Ioanni commendavit, jure infertur non fuisse Mariae filios eos qui Christi fratres in Evangelio nominantur, quibus committenda fuisset. Proferebantur insuper ad probandum tunc B. Virginem orbatam fuisse sponso, et hunc pariter in virginitate mansisse, eo quod Christus non alii quam virgini Virginem matrem custodiendam crediderit. Neque omittendum plures qui commentarios edebant etiam in protestantium utilitatem, causam sufficientem illius interpretationis praetereundae habuisse ne novam ansam illis darent catholicae doctrinae de B. Virgine adhuc magis incriminandae. Ceterum similes omissiones

doctrinarum fidei per universam theologiam occurrunt, quin inferri queat ignorantia aut negatio rei, de qua auctores silent. Sic cum tot in antiquo aevo dicta sint de Sacramentis, tamen usque ad seculum XI nulla invenitur mentio de eorundem septenario numero, qui nunc constituit fidei dogma.

Quod si etiam constaret aliquos auctores illi interpretationi non adhaesisse, nil aliud sequeretur, quam ut alios in simili casu de Immaculata Conceptione, eos quoque errasse; semperque verum esset, solum pro nostra sententia stare qui coelitum honore coluntur, quorum octo adduximus; solum pro ea vigere securum fidelium sensum et consensum; solum pro ea testimonium tulisse Romanos Pontifices.

Quid vero dicendum de Patrum aetate? Facilis est responsio. Congregatio Theologorum a Pio IX instituta pro discutienda doctrina de Immaculata Conceptione inter certa criteria hoc etiam statuit, quod ex doctrina generatim et explicite tradita aliquo seculo inferre licet eam fuisse semper saltem implicite traditam, prout ratione et factis probabant (Malou, *Histoire de la definition*). Quapropter in casu presenti si per eam aetatem proposita fuisset quaestio haec de textu Ioannis, oriri potuisset in pluribus dubitatio aut controversia, sed certe absque alio exitu quam in explicitam et ratam affirmationem eiusdem sensus, qui modo est in Ecclesiae professione.

Si autem non existebat illius sensus cognitio distincta, saltem implicita non poterat deesse, in ideis et doctrinis contenta ex quibus illa sponte, opportunis datis circumstantiis, efflorescceret. In primis talis erat doctrina de eadem Maternitate Mariae quoad fideles aliis titulis asserta. Sic Augustinus: " Illa una femina

spiritu mater est membrorum Salvatoris quod nos sumus: quia illa cooperata est charitate ut fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius capitis membra sunt: corpore mater est ipsius capitis (Lib. de sancta virginitate c. 6). „ Quae etsi ab Augustino dicta sint de cooperatione Mariae in mysterio Incarnationis, tamen aeque valent de cooperatione in ipso Redemptionis opere ad Calvariae montem. Sic etiam Ambrosius: " Unum granum frumenti fuit in utero Virginis, Christus Dominus, et tamen acervus tritici dicitur: quia granum hoc virtute omnes electos continet, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus (De Instit. Virgin.). „ Christus ipse se comparaverat grano frumenti quod, si moriatur, multum affert fructum in tot aliorum granorum productione. Ex quibus ideis simul collatis sponte germinare poterat sententia de Mariae Maternitate apud Crucem. Eadem idea iam facile continetur in doctrina apud Patres communissima, B. Virginem esse Evam secundam et veram viventium Matrem, quae sua cooperatione contriverit caput serpentis, prout in ipsa Vulgata legebatur, et dici meruerit redemptio Evae, expultrix daemonum, viduati orbis sponsa et mater, hominum salus et alia similia. Inter quae illud potissime notandum cum Bulla Immaculatae Conceptionis, ubi ait: " Patres et Ecclesiae scriptores enarrantes illa verba, *Inimicitias ponam inter te et mulierem, inter semen tuum et semen illius*, docuere hoc oraculo clare et aperte praemonstrari Christum Redemptorem et designari Beatissimam eius Matrem. „ Iam vero harum idearum seu doctrinarum complexus tali modo se habet ut virtute contineat Mariae Maternitatem in Calvario declaratam, quaeque proinde fieri nequibat ut citius seriusve exinde aperte evolveretur.

Hoc modo intelligitur saltem implicitam de ea doctrina per illud aevum traditionem exstitisse.

Verum fuit ne tantummodo implicita? Quisnam auderet affirmare tota illa duodecim seculorum periodo sensum illum explicitum omnes prorsus latuisse, eos quoque qui in usu, meditatione et scientia Scripturarum, lumine etiam speciali instructi, versatissimi essent? Imo affirmare omnino licet, saltem apud plures sensum illum cognitum in se fuisse, quamvis nulla ratio aut occasio de eo agendi, aut illud notandi daretur, sicut etiam contigit quoad doctrinam de Immaculata Conceptione. Interim aderat notus textus Origenis in hunc locum, qui quaerens cur Christus dixerit matri: *Ecce filius tuus*, et non: *Ecce etiam hic est filius tuus*, respondet: " Quia quisquis perfectus est, non amplius vivit ipse, sed in ipso vivit Christus; cumque in ipso vivat Christus, dicitur de eo Mariae: Ecce filius tuus Christus „. Quae ratio quamvis indirecta, non est tamen spernenda: eademque affinis est illi pariter nullatenus spernendae quae, iuxta plures superius citatos, desumitur ex voce *discipulus*.

Non est autem mirum, si praeter textum Origenis, alia testimonia desiderantur. Numquid omnes scriptis mandare debuerunt sensus quoslibet e meditatione Scripturarum haustos? aut numquid forte ad nos quaecumque scripta vel praedicata fuere pervenerunt? Sane, haud leve iudicium est, quod Rupertus veteresque auctores, quos audivimus de hac Mariae praerogativa testantes, ne minimo quidem verbo suspicioni locum praebeant, sententiam illam aut dubiam aut recentis esse temporis. Et revera ante eum seculo IX Georgius Episcopus Nicomediensis, in homilia de Mariae doloribus apud Crucem, loquens de iis verbis iam eam inter-

pretationem exhibebat, inducens Christum ita haec explicantem, ut quod Ioanni dicit omnibus discipulis dictum esse intelligatur: " Volo ut hanc Matrem honoretis atque appelletis. „ Attamen admittere oportet notabilem exstitisse progressum ab ea aetate in explicatione doctrinarum de Beata Virgine sub Spiritus Sancti directione et afflatu, qua de re non solum Immaculata Conceptio, sed haec ipsa doctrina de Mariae maternitate et doloribus evidens suppeditat exemplum. Vix enim aut ne vix quidem apud Graecos usque ad Georgium Nicomediensem, et apud Latinos usque ad saec. XII mentio aut sermo, vel in ipsis lithurgiis, invenitur de B. Virginis doloribus juxta Crucem, eiusque munere et participatione in opere ipso Redemptionis. Aliae namque Virginis praerogativae pro eorum temporum adjunctis, divina scilicet Maternitas, absoluta Virginitas, gloriosa etiam Assumptio, videntur cum mysteriis ad Christi et Mariae pueritiam pertinentibus mentem attentionemque Ecclesiae sibi attraxisse, ut patet ex Theologia Patristica de Maria in *Migne* Summa aurea. Sed praedicatio et evolutio activae partis, quam eadem Virgo exercuit in mysterio Crucis, et comitans cultus eius dolorum, eiusque quoad nos maternitatis, unum fuit e phoenomenis vitae Ecclesiae in aevo sequenti.

Quae cum ita sint, patet quomodo ex silentio plurium interpretum et Sanctorum Patrum, nihil inferre fas sit unde veritas allatae interpretationis in dubium vocetur. Advertatur insuper, Patres, qui de eo textu loquentes illam interpretationem non afferunt, paucos omnino esse, eosque tali loqui modo qualis apud nos in usu est. Sic v. gr. Ambrosius affert ea verba ut pro scopo suo confirmet Mariae perpetuam virginitatem.

Augustinus, ut exinde commendet officium honorandi parentes, Chrysostomus ut laudet Ioannem, Bernardus ut ostendat Mariae dolorem in permutatione filii sui cum Ioanne, qua significabatur imminens eiusdem filii sui ex doloris immensitate spiritus emissio. Fortene ergo liceret affirmare, singulos hos Patres putavisse illam solam fuisse verborum Christi significationem? Etiam S. Ephrem Syrus sec. IV, in Serm. de Laudibus Mariae eam celebrat exuberante titulorum profusione: in quibus tamen deest titulus ille Matris nostrae. Sed ecce in una suarum ad Virginem precum ita eam alloquitur " Tu numquam cessas nos respicere ut *Mater*, et ut amans *filiorum* favores tuos largiris „.

Art. III.

Verborum litteralis interpretatio.

Expleta prima parte, nunc ad secundam gradum facimus, in qua veritas et certitudo doctrinae mox ex Ecclesiae sensu et consensu demonstrata, per ipsam textus accuratam considerationem juxta litteralem sensum confirmanda et illustranda est, ita ut evidentius appareat quomodo nullus heic sit sensui accommodatitio locus, prout est quorundam dubitatio aut sententia.

Sensus accommodatitius tunc habetur, quando textus aliquis dictus de una re aut persona aptatur seu accommodatur alteri rei aut personae de qua neque immediate neque mediate dictus est. Sic v. gr. elogium Moysis in Ecclesiastico. " Dilectus Deo et hominibus „ applicatur S. Vincentio a Paula, de quo ibi nullo modo

dictum est. Unde sensus accommodatitius non est proprie Scripturae sensus, sed sensus illius personae quae sic verba aptat subjecto a Scriptura non intento, et ita rectius quam sensus acccommodatitius dicitur accommodatio sensus S. Scripturae.

Si ergo verba *Ecce filius tuus . . . . . ecce mater tua* hoc sensu censentur applicari Maternitati Mariae quoad fideles, eo ipso affirmatur hanc neque explicite neque implicite significatam et intentam fuisse a Domino Nostro.

Jam vero nos e contra sustinemus eam fuisse *directe, proprie et primario* ab eo significatam et intentam, ita ut in Joanne intelligerentur fideles omnes esse repraesentati, et sic *consequenter* eminentius idem Apostolus deputatus esset ad hoc filiale obsequium divinae Matri praestandum. Haec est doctrina quam ex Ecclesiae voce superius ut certam statuimus. Nunc ex ipsius textus accurata consideratione hoc idem ostendere aggredimur, iis utendo rationibus quas ibi audivimus a doctoribus adduci.

Et in primis ratum certumque est, absque alterius probationis ope, Deiparam, eo ipso quod facta est Mater Christi, factam quoque fuisse spiritualem matrem membrorum Christi, qui sunt fideles, quorum ipse fuit primogenitus inter fratres. Non eos tamen tunc genuit sed concepit.

Secundo pariter ratum certumque est, illum fuisse effectum mortis Jesu Christi, ut pater fieret novi populi filiorum Dei. Ita Isaias: *si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum.* (LIII,) et Christus ipse in Ps. XXI, de passione ejusque fructu. " *Et anima mea illi vivet, et semen meum serviet ipsi: annuntiabitur Domino generatio ventura. . . . . populo qui nascetur*

quem fecit Dominus „ Et Paulus ad Hebr. II, ponit in ore Christi illud Isaiae (VIII, 8.) *Ecce ego et pueri mei quos dedit mihi Dominus.* Hoc ipsum continetur in munere novi Adami quo Iesus in cruce fungebatur, ubi serpentis caput conterebat redemptionem operando, cujus virtute qui per veterem Adam lapsi erant a filiatione divina in filiationem serpentis, potestatem acciperent denuo filios Dei fieri, unde " qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur „.

Jam vero quum in hoc potissime mysterio compleretur oracalum Gen. III. de secundo Adamo et de secunda Eva, Maria prope crucem stabat, non simpliciter ut Mater Filio patienti condolens, sed formaliter ut ejus Consors, ut nova Mulier influens per suos immensos dolores, in ipsum redemptionis opus, ita ut ipsa quoque Corredemptrix cum Redemptore contereret serpentis caput, et de congruo nobis promereret quod ille de condigno, prout Ecclesia docet in Officio septem dolorum :

Nobis salutem conferant — Deiparae tot lacrymae,
Quibus lavare sufficis — Totius orbis crimina.

Adstat ergo Maria ut nova Eva, sanguine novi Adami foecundata, actu gignens filios quos in Incarnatione conceperat, et ita complete et perfecte fidelium maternitatem acquirens. Quae cum ita sint, quid aliud poterat, digne et congruenter, Christus Matri per ea verba significare quam quod ad hanc dignitatem, ad hoc munus, ad hoc opus spectaret? Si Christi mentem restringis ad actum privatum filialis curae, nemo non percipit quantopere res dissonet a tanto mysterio, ab eventus magnitudine deficiat et prope vilescat.

Ipse Renan id adnotavit. Reiiciens enim hanc narrationem tamquam a Joanne confictam vanae gloriae

cupidine, hanc etiam rationem affert: " Nobilissima celsitudo characteris Christi inverosimilem facit in eo hujusmodi sensum teneri affectus erga matrem, quum ipse unice intentus operi suo nihil aliud amplius prae oculis haberet quam genus humanum „. (Apud Nicolas. Le divinité de J. C. Ch. XII).

Et sane per se B. Virgo tali providentia eo tempore non indigebat, quum jam a tribus annis Jesus eam reliquisset, quando ob mortem Sponsi, Filii societas et cura magis illi necessaria esse videbatur. Post resurrectionem, adhuc quadraginta dies mansurus erat in terra, in quibus de hac re opportunius disponere potuisset. Postquam descendit Spiritus Sanctus, piae mulieres, tot eius cognatae, apostoli, fideles, magno amore et studio certavissent quidquid est honoris, curae, devotionis tam amabili et per quam dilectae veneratae que Matri Redemptoris impendere. Ipsa quoque immenso divinarum consolationum cumulo numquam non recreata, quid opus habuisset ut in vitae solatium socius illi designaretur? Accedit, ut hae deliciae magis magisque augerentur, cum ad mensam eucharisticam frequentissime accedebat, vi cuius nec cibo quidem corporali indigeret, ut multis sanctis concessum fuisse legimus, et in qua, ut omnino existimandum est, visibili sui Filii adspectu et alloquio frueretur.

Attamen convenientissimum fuit, ut pro ipsa dignitate Deiparae, unus specialiter ab ipso Filio deputaretur in eius obsequium et ministerium, praesertim quoad Eucharistiae oblationem et collationem. Verum si ex una parte optimum est filialem sollicitudinem circa Matrem gerere, ex alia tamen minus congruum videtur tale exemplum ad horam mortis differre, dum e contra prudentiae et curae filialis proprium est, ante

illud tempus tali negotio providere. Quis, sane, auderet filios hortari exemplo Christi ut id officium ad extremum vitae differant? Non ergo facile admittendum est unice aut praecipue Christum tale exemplum nobis e cruce dare intendisse.

Sed, quod gravius est, advertas quomodo documenta et exempla propria Christi ut Auctoris novi testamenti, insignita se praebeant charactere elevato supra ordinem naturalis legis. Id patet per totam ejus vitam, sed maxime in passione et in cruce. Et quod spectat ad officium honorandi parentes, nonne omnino stupendum exemplum praebet in eo quod libere factus est Patri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis? et similiter quod calicem tam amarum immenso amore bibit pro gloria suae Matris, quam sic speciali ratione redimit et in dignitatem assumit Co-redemptricis, et Matrem constituit fidelium omnium, eamque proinde secum proponit omnibus in cultus et amoris obiectum? Talia sunt vere exempla grandia, Filio Dei per quam digna. Sed providere Matri derelictae custodem et solatium res est, quae naturae ipsius ductu a cunctis, etiam improbis et paganis, exercetur, nec est virtus quam homines a Christo doceri oportuerit, et multo minus de qua docenda Redemptor e cathedra crucis sollicitum se exhibuerit.

Hinc ulterius urgetur, quod si res erat solum privata inter Mariam et Ioannem, vix credibile est, (impossibile dicit Coleridge) quod sexaginta post annos habita fuerit digna quae inter mysteria et exempla crucis pro hominum instructione referretur, dum tot alii sublimium virtutum actus omittebantur, nec verbum dictum fuerat ab aliis evangelistis de modo quo Christus pro Matre disposuerat, quum se publico ministerio dederat.

Comparemus quoque verba haec cum aliis in cruce prolatis. In primo verbo Christus precem offert pro inimicis quatenus Mediator et Redemptor. In secundo partem agit Regis et Domini gloriae. In quarto revelat nobis ignotam et immensam animi desolationem, qua ab ipso Patre derelictum se agnoscit. In quinto declarat sitis corporale tormentum, nisi potius sitis illa intelligenda sit de ardenti desiderio bibendi pro nobis calicem usque ad imum. In sexto patefacit omnia esse consummata quae scripta de eo mysterio erant. In septimo Patri tradit spiritum, quo redemptione expleta via ad Paradisum aperitur. Iam vero inter haec verba ordinis publici tam admirandi et ultra naturam, insere in tertio verbo actum mere privatum erga Matrem. Quam dissona et exigua res! Insere testamenti actum quo suam Matrem constituit et proclamat Matrem populi, tunc ipsius Redemptoris sanguine geniti: qualis nobilitas et quam perfecta proportio cum tanti mysterii altitudine et sensu! Sic etiam intelligitur cur prius Matri dixerit, *Mulier ecce filius tuus*, et postea Ioanni, *ecce Mater tua.* Scilicet prius constituitur mater, et ei declaratur proles, et dein proli significatur officium exequendum erga datam matrem, quod statim Ioannes praestitit *ex illa hora suscipiens eam in sua* scilicet in matrem quae speciali ratione suae curae commissa esset.

Est aliud quoque et validissimum argumentum pro nostra interpretatione, nempe in ea sola aptam et ipsi mysterio intrinsece respondentem dari posse rationem cur Iesu Matrem appellaverit Mulierem. Eius enim alia verba in cruce prolata perbrevi constant formula, imo duo eorum uno tantum verbo, et ita singulae voces sensu magni ad rem momenti sunt

plenae, ut nulla sit indifferenter posita aut redundans. Iam vero rationes quae in alia interpretatione afferuntur, extrinsecae sunt, et mysterio incongruae.

Aiunt enim eiusdem patroni Iesum Matrem sic appellasse, ne afflictionem eidem augeret, dulcis matris nomine memorato. Sed aliis, et merito, videtur contrarium omnino esse dicendum. Quis filius matrem summo dolore fere confectam putaret eam vocare Dominam, ne nomine matris magis affligeret? Mater profecto dolens reponeret, quare, fili mi, me non matris sed extraneo nomine vocas? Quod si vere matris nomen dolorem Mariae auxisset, adhuc quaereretur quaenam ratio adesset cur Mulierem dixerit: nonne poterat simpliciter illi dicere: *Ecce filius tuus?* nonne poterat eam vocare *Mariam?* Hinc alii dicunt, quod mulier erat titulus honoris. Sed de hoc neque in historia contemporanea, neque in S. Scriptura ullum invenitur exemplum praeter quam ad nuptias in Cana Galileae, dum e contra III Reg. II. 20, Salomon volens honore matrem afficere, non mulierem dixit sed matrem: *Pete, mater mea.* Unde adhuc etiam de casu ad nuptias sicut de verbo in cruce redit quaestio, cur Christus dixerit " Mulier „.

Ad haec quidam reponunt, ne adstantes Iudaei noscerent eam esse suam matrem, eamque iniuriis afficerent. Sed qui tali affecti erant animo, idem praestitissent contra discipulum et mulieres quae eiusdem asseclas ibi se ostendebant, et iam verisimiliter cognoscebatur illam mulierem esse ejus matrem. Sicut autem in horto non permisit ut quid mali discipulis inferretur, id multo magis praestitisset pro aliis et matre apud crucem. Deinde stat adhuc quaestio, cur vocavit eam mulierem, et non sim-

pliciter dixit: *Ecce filius tuus?* Hinc apparet quoque inepte a quibusdam afferri, Christum voluisse nos docere exemplo quod verbis docuerat; *nolite vocare vobis patrem super terram.* Neque enim exinde sequitur matrem vocandam esse mulierem, multo minus in tam solemni mysterio, si de actu privato res est. Insuper per se est evidens, sensum quo Dominus illud docuerat nil pertinere ad casum praesentem. Omnibus igitur perpensis constat nullam ex his rationibus apte, pro rei gravitate, quaesito satisfacere.

Verum difficultas omnis cessat, et vera divina illustratio accedit, si Mulierem spectas, quae, ut Genesis III promissa est cum suo semine caput serpentis contritura, ita nunc prope crucem adest cum suo semine caput conterens serpentis. Eo nomine mulieris vocabatur quae data erat Adamo ut adiutorium ei simile, non solum ad quamcumque filiorum procreationem, sed ex primaria Dei intentione ut eos gigneret gratia divinae filiationis ornatos (1). Iuxta hunc ordinem Eva debebat esse vera mater viventium, generi humano objectum reverentiae et amoris. Sed hac dignitate amissa, cessavit esse Mulier eo sensu honorifico qui a Deo intendebatur. At hoc imo excellentiori adhuc sensu insignis tunc praenunciata est

(1) Suarez, allatis iis variis rationibus, addit « vel *certe*, sicut se vocabat *filium hominis*, ita virginem per antonomasiam mulierem appellabat, ut indicaret eam esse mulierem illam per quam damna primae mulieris instauranda forent ». (De mysteriis Vitae Christi Disp. 1. Sec. 1. n. 5). Affirmat insuper cum Ruperto « Mariam apud crucem evasisse omnium Christianorum matrem, quos magno dolore parturiebat » (Dip. 22. sec. 3.). Quod igitur hunc sensum verbis Christi non agnoverit (Dip. 37. sec. 4.) id inadvertentiae tribuendum est temporisque de hac sententia adjunctis.

alia mulier, scilicet Beata Virgo, in qua sola quidquid perfectionis in mulieris idea continetur plenissime inventum est; utpote quae simul fuit et Mater Dei et absolute Virgo, pariterque mystica omnium filiorum Dei Mater, et sui sexus reparatrix et gloria. Cum igitur sapientissime haec Virgo Mater a Deo in paradiso vocata est antonomastice Mulier, sapientissime pariter ita vocata est a Redemptore in mysterio quo illud vaticinium adimplebatur.

Nota insuper quod in eo mysterio nomen Mulieris magis quam Matris Mariae congruebat. Nam Beata Virgo secundum naturam fuit I. Christi mater in nativitate; sed quum in cruce eius filius fungeretur munere secundi Adami, illi adstabat non ut mater, sed ut ejus Consors in opere, et nominatim in generatione novi populi. Convenientius ergo eam Christus non matrem dixit sed Mulierem.

Ut autem distinctius percipias, quam adamussim hoc modo promissio eiusque executio se mutuo illustrent, ecce utriusque comparatio;

Gen. III. (ordo realis et mysticus) MULIER		Ioan. XIX. (ordo mysticus) MULIER
cum semine quod primario est Christus, secundario eius membra, fideles.		cum filio adoptionis qui primario est Ioannes discipulus, secundario in eo sunt Ch. discipuli, fideles.

Iam igitur in ipso schemate Reparationis significabatur in aenigmate grandis illa Maternitas quae Evae secundae in Reparationis opere ab ipso novo Adamo aperte declarabatur.

In quo conspectu praetereunda non est analogia

quae intercedit inter semen mulieris et discipulum. In phrasi *semen mulieris* significatur huius virginitas, ut communiter dicunt interpretes: proinde *semen mulieris* idem valet ac filius Virginis. Unde apparet quali praesertim dote insignis esse debuerit qui ad dignitatem primogeniti Mariae in ordine adoptionis evectus fuit. Et revera talis fuit Ioannes, qui ideo electus quia virgo. Insuper semen mulieris exhibetur luctans contra serpentem eumque conterens. Et sic etiam Ioannes unicus erat discipulorum, qui Magistro in lucta aderat et ideo fuit vere discipulus. Proinde non est spernenda ratio a pluribus allata, nomen etiam *discipuli* in hac narratione non carere mysterio, quatenus nempe discipulorum omnium Ioannes forma et typus constitutus erat.

Cum igitur indubie mira et intrinseca existat necessitudo inter oraculum Dei prope lignum damnationis et oraculum Redemptionis e ligno salutis prolatum, cumque et mulier in primo eadem sit ac mulier in secundo, manifeste et certissime sequitur, immediatam Christi intentionem per verba significatam nullatenus tunc actum respexisse privatum, sed publicum, reddendi nimirum universalem respectu omnium fidelium suae Matris maternitatem, ut rem quae ad integritatem Novi Testamenti pertineret. Quare hac maternitate statuta, evangelista illico addit: *Sciens autem Jesus quia omnia consummata sunt.* Quaenam omnia? Ea potissime scilicet quae in primo evangelio praenuntiata erant de Muliere ejusque semine, quaeque tunc completa sunt in verbis: *Mulier ecce filius tuus... ecce mater tua.* Illud fuit primum evangelium a Deo ipso prolatum, hoc fuit ultimum, ab ipso Evangelii Consummatore editum.

Hic autem probe notetur, quod dum affirmamus eam primariam et propriam fuisse Christi intentionem, non ideo prohibemus quominus pro occasione, etiam alia secundaria afferatur vel aliae minores adducantur rationes de nomine *Mulier*, dummodo neque exclusive neque primario adducantur. Sic pluries evenit quoad Scripturarum sacrarum textus; videlicet ut interdum loco primarii et proprii sensus, indirectus usurpetur, ut v. gr. accidit de textu: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Quamvis enim constet primario et proprie Apostolum Petrum significari ut fundamentum Ecclesiae, tamen merito interdum haec petra Ecclesiae dicitur esse vel ipsa fides in divinitatem Christi, vel ipsius Petri professio, vel Ecclesiae Romanae fides, vel ipsemet Christus, qui omnes sensus in illo primario includuntur.

Art. IV.

Illustratio, confirmatio, conclusio.

In allata interpretatione corroboranda Doctorum auctoritate non est cur diutius immoremur, quum ex eorum sententiis superius indicatis hanc ipsam expositionem veluti contexuimus. Verum heic magis praestat nonnulla in tam pretiosae doctrinae illustrationem confirmationemque subnectere.

Primo sit commendatio quam huius doctrinae facit Ecclesia in Off. septem dolor., ubi illud ponit "In toto corde tuo gemitus matris tuae ne obliviscaris „. Quae verba nobis referunt Mariae gemitus in nostro partu juxta crucem. Deinde in Off. feriae Sextae in

Hebdomada passionis hoc habetur " Quis mihi det te (Iesum) fratrem meum, sugentem ubera matris meae, et inhaerendo lateri tuo ut sanguis tuus sanguinem meum tangat et tergat.... Filii tui de longe venient et filiae tuae de latere surgent „. Sive filii et filiae referantur ad Iesum, sive ad matrem communem, his verbis manifeste indicatur nova proles, quae matri nostrae contigit vi passionis et sanguinis qui hauritur a nobis de latere Christi, sicut ipse sugit ubera matris nostrae.

Secundo loco observandum est, verba Christi efficere quod significant. Quare indubie tenere debemus Dominum, eorum virtute impressisse in corde Mariae, tenerrimos ardentis amoris sensus erga filios quos tunc generabat, et vicissim replevisse Ioannem filiali affectu eoque devotissimo erga novam matrem. Praeterea credendum est Christum se illo eodem actu veluti obligasse ad inserendos continue in ipsis fidelium animis consimiles pietatis sensus in Beatam Virginem, prout numquam non evenisse communis Christianorum praxis quotidie luculenter testatur.

Qua de re placet subdere quaedam sat pulcra P. Coleridge S. I. quondam Anglicani ministri, e citato opere desumpta. " Ecclesia, ait, numquam admisit filiationem Mariae fuisse donum ipsi Ioanni reservatum et beneficium cum eo cessaturum. Hoc donum, hoc beneficium perseverare debebant in Ecclesia sicut promissiones Petro factae et Apostolico Collegio. Nec desunt argumenta quae impossibilem reddunt talem interpretationem.... Quod si etiam argumenta deessent, sensus Ecclesiae, quem nos vocamus instinctum christianum, aeque testatur illam non potuisse esse intentionem Cordis Jesu Christi Salvatoris, eo quod

tale donum (habendi filium in Joanne) inter hos limites restrictum satisfacere Cordi Mariae nequibat „, et explicat propter ingentem charitatem qua illud flagrabat erga nos. Transiens ad fructus verborum Christi ait: " Ut eos intelligamus sufficit observasse Ecclesiae universae spiritum et praxim in cultu Virginis per aetatum decursum, qui cultus revera procedit ex intima persuasione de ejusdem materno erga nos munere illi a Jesu commisso. Historia nobis praebet optimam verborum Christi explicationem ; nempe non agi de simplici phrasi clementiae aut pietatis sensu, sed de dicto vere divino et creativo quod initium dedit uni e praeclarioribus manifestationibus quae existant in Dei gloriam, et ex quo dicto processit unum e pretiosoribus beneficiis humano generi concessis „.

Tertio, tanti momenti institutio iam in primo oraculo significata carere non debebat respondente aliquo typo. Et sane inter " omnia quae consummata sunt „ merito recensetur praemium quod Abrahamo promissum fuit pro obedientia in oblatione sui unigeniti : audivit enim a Deo : " Quia non pepercisti unigenito filio tuo propter me, multiplicans multiplicabo semen tuum super stellas coeli et arenam maris „. Sicut autem Abraham non erat in ea obedientia figura Dei sed Mariae, ideo etiam huic in ea oblatione dictum fuit : " Mulier ecce filius tuus „ novus filius : semen infinitum.

Hoc ipsum figuraverat Rachel, quum post partum Josephi in dolore utique sed etiam in gaudio ob solutam sterilitatem dixit " adiiciat Dominus mihi alium „ et tunc peperit in cruciatu mortis alium quem vocavit " filium doloris mei „. Sic Maria quo

tempore Filius solvebat poenam mortis Adamo decretam, poenam ipsa quoque in secundogeniti partu subibat primae mulieri inflictam, " multiplicabo conceptus tuos, et in dolore paries filios „. Nam primogenitum, ut Virgo, in gaudio ediderat; hunc autem, ut spiritualiter secundi Adami consors et Mulier, in dolore spiritualiter letali genuit.

Quarto, quum Dominus etiam in Cana ad nuptias nomine Mulieris Matrem suam vocaverit, non erit abs re videre quomodo aptissime tunc illud Mariae tribuerit.

Et revera Dominus illuc advenerat, ut plures Patres asserunt, Cyrillus Alexandr., Maximus Taurin., Epiphanius, Gregorius Nazienz., Ioannes Damasc., Synodus Ephes., liturgia Gallicana (Cfr. Hurter Compend. Theolog. Vol. III, De Matrim. n. 593), ut nuptias sanctificaret, elevaturus a statu vulgari et gratia vacuo ad dignitatem Sacramenti novae legis, cuius significatio nobilissima esset connubium Christi cum Ecclesia, quatenus iam ab initio praefiguratum per connubium Adami et Evae. Huius elevationis et transformationis symbolum praebebatur in miraculo transformationis aquae in vinum quod Christus patravit Matris voluntati obsecundans. Haec igitur Filio aderat non tam ut Mater, quam ut Mulier Redemptori Consors in opere reparationis. Cum autem maxime in conjugio deordinatio naturae lapsae appareat et sexus muliebris deiectio, aptissime Dominus reparationis opus a conjugii elevatione incepit, cum praesentia, et concursu illius quae conjugalis status fuit decus et sexus muliebris instauratio.

Aptissime proinde Mulier tunc appellata est.

Quinto, Mulierem in magno oraculo " Inimicitias

ponam etc. „ esse litteraliter ipsam B. Virginem, clare et aperte Bulla *Ineffabilis* verbis supra relatis testatur; quo testimonio, illi sententiae absolutam advenisse certitudinem merito affirmat cl. Billot (de Verbo Incarn. Ed. II 1897). Bulla tradit hunc fuisse traditionalem Patrum Scriptorumque sensum. Et revera eum proferunt Iustinus, Cyprianus, Ireneus, Epiphanius, (quem immerito quidam trahunt ad alium sensum), Isidorus Pelusiota, Leo Magnus, S. Proclus, Auctor Ep. de viro perfecto, Prudentius, Bernardus aliique non pauci sequentis aetatis, quos vide ap. Passaglia de Imm. Conc. (P. II. Sect. V. C. 1).

Orto protestantismo invecta est sententia juxta quam mulier inimica serpenti est Eva: quidam catholici id quoque admiserunt sed addendo, Evam ibi esse ut typum Mariae. Verum haec interpretatio apud nullum Patrem invenitur, erat omnino nova et per quam aliena a traditionali idea de Eva *post peccatum*. Hanc enim Patres cum Maria comparant nonnisi sensu oppositio, eo modo quo S. Paulus (Rom. V.) Adamum lapsum cum Christo comparat, scilicet ita ut quidquid est honoris et gratiae soli Mariae tribuatur, Evae *lapsae* nonnisi quod in eius dedecus cedit. Sic dicitur Eva maledicta, Maria benedicta: Eva fons peccati et miseriarum et captivitatis sub daemone, Maria fons gratiae, et initium salutis et liberationis a serpente. Hoc solo sensu oppositionis Eva post peccatum potest dici typus Mariae, sicut Adam post peccatum vocatur a S. Paulo typus seu forma Jesu Christi. Rationem hanc typicam Mariae ad Evam pulcre ex Patribus declarat B. Canisius, qui tamen contra exortam de Eva sententiam explicite statuit, Mulierem hanc Genesi III. 15, neque Evam neque aliam mulierem esse sed solam

B. Mariam Virginem (De Virg. Maria L. 1. C. II). In quam eandem sententiam, quae communissime traditur in Theologiae tractatibus et Thesibus de Immac. Concept. praesertim post Bullam definitionis, longam adducere possem gravium auctorum catervam, contra paucissimos qui adhuc stant pro uxore Adami.

Horum potissima ratio est in ea narratione Genesis, ante et post oraculum, mulieris nomine semper indicari Evam, et ideo eandem in oraculo *evidenter* designari. Sed qualis evidentia, cum Ecclesiae testificatio sit evidenter opposita? Si talis fuisset oraculi sensus a Deo intentus, munus Ecclesiae fuisset illum conservare, excolere, asserere. Et tamen contrarium sensum Ecclesia promovit et tuita est maxime per Bullam, ubi Pontifex verum oraculi sensum fidelibus tradere intendebat. Unde totalis omissio sensus de muliere Eva eoipso censenda est eius exclusio.. Certe Adam ex oraculo tam aenigmatico nulla evidentia cogebatur ad inferendum mulierem tanto honore insignitam esse suam uxorem. Ipse Leo XIII in Encycl. de Rosario Mariali 1897, ait " B. Virginem parentibus post lapsum et eorum posteris constitutam fuisse quasi pignus instaurandae pacis atque salutis „. Ergo ab initio fuit ipsis indicata: ergo mulier illa non poterat esse neque intelligi Eva, quae illico e paradiso eiecta est, serpente ibi tranquille remanente. Cum autem agatur de promissione Redemptoris, in quem fides statim et absolute saluti necessaria fuit, ut dicit Catechimus Conc. Trident. (De Sym. a. 2), admittendum omnino est, Deum illustratione concurrisse ut oraculi sensum idoneum protoparentes perciperent, quem posteritati traderent. Porro hic sensus in familia Noe et deinde Abrahae et populo Israel magis magisque firmatus et

notus esse debuit, ita ut non a Moyse populus historiam illam primo didicerit sed potius a populo Moyses. Nec alius potuit esse iste sensus, quam qui per sequentes revelationes maxime Novi Testam. patefactus est de Redemptore eiusque Matre, seu de novo Adamo novaque Eva.

De hac quaestione *Civilittas Catholica,* postquam dixerat interpretationem de Eva e fonte heterodoxo profluxisse tale profert judicium: " Si Mulier est Deipara, sensus magni vaticinii clare et determinate intelligitur, veritate splendore plenus est et quaquaversus admirabilis. Quovis alio modo incertus evadit, implexus et multo minus illustris (verius, *omni lustro vacuus*), multis obnoxius difficultatibus, cum tamen nullum sit argumentum quod talem sensum persuadeat. Interpretatio de Virgine est sola quam Patres Sanctique sequuti sunt, eamque supposuerunt innumerabiles auctores, ut exinde inferrent Immaculatam Conceptionem (*quae in alia interpretatione nullatenus potest legitime inferri*), eaque in primis clarissimo Bullae *Ineffabilis* suffragio gaudet. Quare si ad theologicam thesim invicte stabiliendam talia non sufficiant, non putamus praeter dogmata definita aliquid amplius dari quod clare vereque firmum habeatur „. (Dic. 1888. p. 724).

Et quia opposita contra se posita magis elucescunt, juverit hic oraculum exponere juxta unam et aliam interpretationem. Etenim, juxta nostram interpretationem oraculum sic litteraliter exponi legittime potest: " Quia tu, daemon, fecisti hanc rem reddendi tibi amicam mulierem, et per eam Adam genusque humanum perdendi.... ecce ego, in condignam sceleris poenam, aliam suscitabo tibi inimicam, antonomastice mulierem,

aliumque hominem ejus filium, qui, ut novus Adam, conteret tibi caput, destruet scilicet opus tuum, eo actu quo tu infimae eius parti, idest corpori, vulnus letale infiges; (vel, ut secundum textum hebraicum, eo actu quo tu *conteres,* seu destrues eius calcaneum), et ita homo quem nunc fecisti tuum semen liberabitur a peccato. „ In hac simplici expositione oraculum mira et divina prorsus arte continet totam reparationis oeconomiam cum essentialibus eiusdem constitutivis, ut in subiecto schemate lucide apparet:

Inimicitias ponam

inter te	et	Mulierem
(satan)		(Nova Eva)

inter

semen tuum	et	Semen illius
Adam lapsus, et in eo homines veluti ejus membra		Redemptor, novus Adam et in eo fideles, eius membra

Hic Redemptor, novus Adam, licet in inimicitia cum genere humano, tamen non contra hoc, sed contra serpentem pugnat eumque conterit, ut hominem ab eius captivitate liberet, juxta illud Rom. V. " Cum peccatores et inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est . . . „.

Nec solum reparationis oeconomia, sed tota Mariologia, Immaculata Conceptio, singularis Virginis Redemptio, absoluta Virginitas, plena victoria de morte, divina Maternitas, munus Coredemptricis et Matris fidelium, aliaeque eiusdem Virginis praerogativae, et relationes ad Ecclesiam, quae est secundarium eius se-

men, in oraculo mire exhibentur, prout fuse ostendi in Opusc. *De Secunda Eva*, Commen. in protoevangelium.

Cum hac oraculi expositione conferatur opposita: " Quia fecisti rem hanc, etc.„ ecce ego in dignam vindictam, *ponam inimicitias inter te, serpentem, et hanc* misellam trementemque *mulierem* in perizomate (mox e paradiso eiiciendam ut poenam in luctu subeat): et inimicitias pariter ponam *inter semen tuum*, daemones omnes (quidam ponunt etiam serpentes) et *semen huius mulieris*, genus nempe humanum, peccato affectum et ideo semen etiam tuum „. Cetera suppleat lector, et videat utrum, dum in alia expositione fulget veritatis splendor, de hac dici debeat cum Iob " *Numquid comedi poterit insulsum quod non est sale conditum?* „

Nec dicatur, spectandum esse sensum typicum. Hic enim supponit litteralem congruentem, quo deficiente, ut in casu, neque typicus dari potest. Sic si mulierem facis Evam ut Mariae typum, semen mulieris erit genus humanum (nam ibi Eva dicitur mater omnium viventium), ut typus Iesu Christi, quo nihil absurdius. Insuper, ut Eva qua inimica serpenti esset typus Mariae qua inimicae diabolo, requireretur ut aliquo actu externo, determinato, et relato in S. Scriptura illam inimicitiam ostendisset; nec enim ad rationem typicam sufficit interna dispositio. Sed nullus legitur hujusmodi actus ex parte Evae. Ergo ea non potuit ibi esse ut typus Mariae. Et sic dum conaris eripere Evam a Carybdi, proiicis in Scyllam. Agitur autem de textu non qualicumque sed immediate connexo cum dogmate.

Atquae haec sufficiant. Probandum assumpseram, doctrinam secundum quam Dominus Noster per verba

e cruce prolata constituerit Mariam in matrem fidelium, hac aetate evasisse theologice certam nihilque prohibere quominus suo tempore dogmatico judicio credenda proponatur. Jam vero eius certitudo invicte statuta est. Argumenta allata eiusmodi sunt ut infirmari numquam possint et vim potius habeant progressivam. Agitur insuper non de re disciplinari aut historica sed de sensu iis verbis a Christo intento ac proinde in re fidei. Si autem de veritate huius doctrinae revelatae certo constat, eo ipso eadem obiectum esse potest definitionis, solumque erit quaestio de eiusdem pronuntiandae opportunitate, quae e temporis adjunctis pensanda erit. Quamvis autem specialis opportunitatis ratio in praesenti non appareat, attamen, sicut hac aetate Romani Pontifices Spiritus illius afflatu, qui in omnem veritatem dirigit, in Actis non levis momenti, quorum unum in Encyclicis Litteris ad totam Ecclesiam, testimonium huic Mariae praerogativae proferre coeperunt, nemo dicere audebit improbabile esse eosdem tempore sequente illud idem fore praestituros, et quidem solemniori etiam forma quae sit loquutio ex cathedra vel aequivalenter habeatur. Quae si dabitur magno fidelium gaudio per universum orbem excipietur, eritque novum eorum pietati in Virginem incitamentum, et Marianae theologiae novi splendoris acquisitio.

Porro, cum haec praerogativa sit ore ipsius Christi morientis expressa, imo haec sit unica quam Ipse de sua Matre sic revelaverit, nempe ore suo, cumque haec praerogativa, ratione etiam verborum et circumstantiarum quibus declarata fuit, virtualiter contineat ceteras omnes quae ad nos relationem dicunt, ut Corredemptricis, Mediatricis, etc. nemo non videt quantopere

juvet in tractatibus dogmaticis istam Virginis dignitatem diserte proponi et illustrari. Et ita, sicut hisce annis optimo consilio in theologicis Praelectionibus, praeeunte P. Hurter, Mariologia addi et in eadem haec ipsa doctrina inseri coepta est, sic etiam ulterius progrediendo non modo corollarii, sed praecipuae thesis locum honoremque acquirat.

Fiat, fiat.

INDEX

Ratio dissertationis . . . . . Pag. 5

Art. I. Fidelium et Ecclesiae sensus et consensus „ 7

„ II. De interpretum Patrumque silentio . . „ 20

„ III. Verborum litteralis expositio . . . . „ 26

„ IV. Illustratio, confirmatio, conclusio . . . „ 36

233.38
L 525
23053
LEGNANI, HENRICO, S.J.
AUTHOR
Maternitas B. Virginis Mariae
TITLE quoad Fideles

DATE DUE	BORROWER'S NAME
	STORAGE - CBPL
	PRINTED IN U

23053